

## DE ERRATIS.

Dño & amico suo Iohanni Petreio Michael Stifel  
Gratiam & pacem in Christo.



**N**Osti, uir optime, ut iste liber noster ultra quinque-  
nium, quasi captiuus fuerit detentus, antequam  
ad manus tuas deueniret, & satis constat con-  
tentionem hanc molestam fuisse, cum mihi, tum libe-  
ralium artium studiosis multis. Postea usus con-  
silio amicorum, simulauit me uelle librum locupletare, ut ea oc-  
casionem librum retraherem ad manus meas. Successitq; consi-  
lium, atq; ita coepi rescribere illū ab exordio, & inter scriben-  
dum multa quæ incidissent addebā, multaq; (ut fit) mutabam.  
Cum autē me postea meus promissor irritaret injuria, & spem  
mercedis eriperet, destiti ab incepto, donec me compellarent  
uiri, quibus si difficilis fuisset, nephas esse duxissem. Illi te no-  
minabant mihi, & honorificis uerbis ornabant, atq; ita reiectū  
opus denuo instaurare perrexi. Cūq; postea studiosorū qui-  
dam referrent, te præstituisse tempus nundinarum Francofor-  
diensium p̄ æditione libri, modo ego moræ causam non darē,  
atq; me pollicitationibus sollicitarent ut opus maturarē, adeo  
festinare coepi, ut me tēpus relegendi quæ dictassem deficeret.  
Et hinc nata sunt errata quædam, quorum me mea cōscientia  
reum agit, teq; absoluit. Quanquā in tua quoq; officina non-  
nulla sentiam esse nata, fortassis ministrorum tuorum incuria.  
Optimi autem typographi officio uideris mihi functus esse,  
quòd mihi librum remiseras corrigendum, à tam remoto loco.  
Sunt enim errata quædam admissa talia, qualia forsitan nullus  
alius præter me commode emendasset, uti est primum inter illa  
quæ ponam. Vale.

Regulam